JUSTUS FRIDERICUS DILLENIUS
MED. D. ET P. P. ORDIN. ACADEMIÆ GISSENÆ
H. T.
RECTOR
CIVIBUS ACADEMIÆ STUDIOSIS
S. P. P.

Gr. Hess. Univ. Bibliothek Gieſsen.
1704

Siſtitur hîc Vobis denuò Schema Lectionum *tum* publicarum, *tum* privatorum Collegiorum *inſtante Semeſtri brumali, ab Excellentiſſimis O. O. Profeſſoribus bono cum DE[O] habendarum. Ex his igitur eligite quicquid ex re uſuque veſtro futurum exiſtimaveritis,* & HOC AGITE! *P. P. in Academia Ludoviciana Dom. XVII. poſt Trin. M DCC I[V]*

IN FACULTATE THEOLOGICA.

JOANNES CHRISTOPHORUS **Bielefeld**, Theol. P. Primarius, uti hactenus Epiſtolam Pauli ad Epheſios *publice* in Prælectionibus ſuis percurrit, ita in poſterum Epiſtolam ad Galatas ſimili induſtriâ, quoad Tractationem Exegeticam, Poriſmaticam & Homileticam enucleare allaborabit, juncturus Exercitium Practicum, quod in Homileticis apprimè, poſt jacta ritè fundamenta, eſt utile. *Privatim* Scholas aperiet ad *Theologiam Polemicam univerſalem* ductu Scripturæ tractandam, interſertis ſimul, ſingulis hebdomadis, Diſputationum Exercitiis, ita tamen, ut captui ac deſiderio Auditorum omnia accommodentur, quibus etiam, ſi in Theſi aut Antitheſi tractandâ conſultius viſum fuerit hoc vel illud, etiam ſuâ induſtriâ B. C. D. non deerit.

D. JO. HENRICUS MAJUS, S. Theol. Prof. Ordin. publicè *Oeconomiam Temporum N. T.* ex Evangeliſtis & Actis Apoſtolicis continuabit. Privatim quoque *Oeconomiam Veteris Teſtamenti* uſque ad Hiskiæ tempora deductam, B. C. D. abſolvet, interſertis ubique locis ſuis & ſtrictim expoſitis Vatum coævorum Prophetiis. Adhæc *Theologiam B. Lutheri*, ex ſcriptis Megalandri Germanicis collectam, per omnes atque ſingulos Articulos Fidei tradet.

D. [illegible] practicè doctrinam *de Officiis Hominis Chriſtiani* proponet. *Privatim Controverſias cum Reformatis* explicabit, additurus de reliquis Controverſiis cum Socinianis, Remonſtrantibus, Anabaptiſtis, Enthuſiaſtis atque Judæis recenſionem hiſtoricam.

IN FACULTATE JURIDICA.

JOAN. NICOLAUS HERTIUS, *J. U. D. & P. P. publicè* Struvii Syntagma juris feudalis explicabit, & ſemel vel bis, prout hucuſque conſuevit, per ſeptimanam exercitium diſputatorium interponet. *Privatim* Compendium Juris B. D. Lauterbachii tractabit, & de cætero pro virili uſibus diſcentium operam ſuam commodabit.

BERNHARDUS LUDOVICUS MOLLENBECIUS J. U. D. & Prof. Ord. Gratiâ DEI adjuvante, Exercitium Diſputatorium ad Illuſtriores Controverſias juris publicè continuabit. Privatim in Lectionibus Digeſtorum Lauterbachianis perget, & novum Collegium ad Jus Feudale inchoabit.

SIMON NICOLAUS ORTHIUS, J. U. D. & ej. Prof. Ordin. *Publicè* in explicandâ teſtamentorum materiâ perget. *Privatim* verò in novo Pandectarum Collegio ad D. Lauterbachii Compendium ita ſe accommodabit deſiderio Auditorum, ut intra annî ſpatium non tantum abſolvatur, ſed etiam cum Theoriâ, inprimis quæ in foro & praxi ſcitu neceſſaria, addiſcere poſſint.

MELCHIOR DETHMARUS GROLMAN J. U. D. & Prof. Ordin. in *publicis Lectionibus* Jus ad Rem juxta ſeriem Inſtitut. tractabit. *Privatim* Collegia ſedulò continuabit, & potiora D. V. propediem abſolvet, quo facto nova etiam *Juris Canon. & Feudal.* Nobiliſſ. Dnis. Commilitonibus offert, ac fidelem in omnibus manuductionem pollicetur.

JOH. HENRICUS MOLLENBECIUS J. U. D. Prof. Extr. Collegium Philoſopho-Juridicum *ad Inſtitutiones Juſtinianeas* B. C. D. abſolvet. Eo verò abſoluto *juris publici* argumentum aggredietur, Nobiliſſ. Autoris *Myleri ab Ehrenbach de Principibus Imperii* tractatum. *Privatim* ad deſiderium DN. Commilitonum in alium quemcunque *Autorem Juris*, promtitudinem ſuam pro virili demonſtrabit.

IMMANUEL **Weber** D. PP. Extra-Ord. *Publicè Sam. Stryckii Introductionem ad Praxin forenſem* prælegeſt; *Privatim* vel ad *Schvvederi Jus publicum* vel ad *Stryckii Examen Juris Feudalis* Collegium offert; perrecturus etiam in *Jure Nat. & Gentium ex Pufendorfii Officiis* tradendo.

IN FACULTATE MEDICA.

JOH. CHRISTOPHORUS HERTIUS, *Med. D. hujusq; Prof. & Archiater Haſſo-Darmſtatinus Prim.* ubi otium aulicum ipſi permittet verſari in Academia, non deerit, ſi quacunque ratione Philiatrorum conatus promovere poterit.

JUSTUS FRIEDERICUS DILLENIUS, *D. & P. P. Ordin. h. t. Acad. RECTOR*; ſimul ac oneroſo Rectoratus officio feliciter defunctus fuerit, ad *Prælectiones* ſuas *publicas* bono cum Deo revertetur, & vel in *Anthropologia* ſua *Phyſio-Pathologica* ibi, ubi hornò ſubſtitit, perget, vel *Scholæ Salernitanæ* præcepta, ſi quidem DNN. Auditoribus Philiatris ita placuerit, eleganter ac utiliter explicabit: *Privatâ* verò induſtriâ *Compendium Inſtit. Medic. Waldſchmidian.* ob Auditorum diſtractionem hactenus interruptum, explicando abſolvet, indeque ad alia è re ac uſu DNN. Philiatrorum futura progredietur.

MICHAEL BERNHARD VALENTINI *Archiat. & Med. PP. Ord.* in Lectionibus publicis *Muſeum Muſeorum* nuper [illegible] illuſtrare perget, eoque abſoluto *Praxin Medicinæ infallibilem* novâ faciliquè methodo pertractabit, cujus diſcurſum præliminarem, ſub prælo jam ſudantem, propediem publicè ventilando præmittet. Privatim *Collegium Caſuale* inſtituet, non omiſſis iis, quæ in *Examinatione Pharmacopœorum, Chirurgorum & Obſtetricum*, nec non *inſpectionibus vulnerum lethalium* Medicis Provincialibus & Phyſicis, ut vocantur, Ordinariis obſervanda ſunt.

GEORGIUS THEODORUS BARTHOLDUS, *Phil. & Med. Doct. ac Prof. P. Ord.* quamprimùm è Saxonia bonis avibus huc redierit, munere ſuo tam publicè, quàm privatim pro virili rurſum defungetur, &, quid in demandata ſibi Profeſſione utrobique præſtiturus ſit, per ſchedulam valvis templi affigendam DNN. Philiatris intimabit.

CHRISTIANUS LUDOVICUS TACKIUS, *Med. Lic. &c.* adverſa valetudine impeditus munere ſuo fungi nequit.

GEORGIUS CHRISTOPHORUS MOELLERUS Phil. & Med. D. P. P. Extra-Ord. Cùm *Collegium de Materia Medica* nuper inchoatum ad Umbilicum perducere non potuerit, quæ reſtant explicare continuabit: cui collegium de *compoſitione Medicamentorum extemporanea* ſubjunget; quo finito *Practicum* ordietur; Atque Philiatris ſuis ſuper quoſvis ipſi obvenientes *Ægrotos* vel *caſus* medendi decidendique rationes dicet, & ita ſenſim *Praxi clinicæ* illos aſſuefaciet.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

JO. HENRICUS MAJUS, D. Sacrarum & Oriental. Ling. Prof. Ord. utriuſque Teſtamenti Linguas publicè privatimque ſedulo diligenterque inculcabit, & ita Collegia ordinabit, ut, qui induſtriam, ceu par eſt, adhibuerint, indolem & uſum utriuſque Linguæ Originalis probe cognoſcere queant. Collegium denique in II. Epiſtolam Pauli ad Timotheum ſociata, quorundam DNN. Collegarum opera inſtitutum, continuabit.

MICHAEL BERNHARDUS VALENTINI *Prof. Phyſ. Ord.* publicè *Naturam & Generationem* eorum ſcrutari perget, quorum uſum in Lectionibus Medicis proponet. *Privatim* Collegium Explicatorio-dictatorium, vel ſi mage placuerit, Diſputatorium in *Phyſicam Giſſenam* aperiet, neq; iis qui literaturæ elegantiori delicias experimentorum jungere deſiderant, ſtudium & operam ſuam denegabit.

JOH. BARTHOLOMÆUS RUDIGER *Log. & Metaph[ys.] Prof. Ord.* poſtquam in ſibi datâ Philoſophiæ provinciâ inſtitu[tas] ſingulîſque ſeptimanis habitas *Diſputationes* publicas *Ontologico-Pneumaticas* ad exitum perduxit; poſthac in examinandis *præjudiciis* Metaphyſicis, ſeu novis, ſeu antiquis, inprimis circa *Cauſarum doctrinam*, publice perget: In *Logicis* autem recentiſſimas eas circ[a] *Artem cogitandi* excogitatas hypotheſes *publice* ventilabit, qu[…] paulo prolixiorem, quam in privatis fieri poteſt, evolutionem me[…]rentur. Cæteras Lectiones *Domeſticas* captui, æquè ac uſui, nec no[n] petito DNN. Audit. attemperabit, non tam ſuo genio ac voluntat[i], quàm ipſorum commodo ac neceſſitati, maxime indulgens.

JOH. HENRICUS MÖLLENBECIUS Polit. Prof. Ord. in [...] *privatim* prudentiæ civilis fundamentis peculiari ope[ra] in gratiam Studioſorum Theologiæ *Politicam Chriſtianam* trade[t]. Qui *Civilibus* dediti & ad *prudentiæ ejus* culmen adſcenſuri, *didacticopolemicum* aperiet, cujus habitum & inſtituta ſuo loco ſignificabit.

JOH. CHRISTIANUS LANGIUS, *Moral. Prof. P. Ordina[r.]* Cœptam in gratiam diligentiſſimorum ſuorum Auditoru[m] *Cogitationum rationalium Obſervationumque Memorabilium a[d] Moralem Philoſophiam pertinentium Collectionem* B. C. D. per hibe[r]num quoque Semeſtre *publice privatimque*, [...] DNN. Commilitones de eo jam conventum eſt: conti[…]nuabit: atque etiam in gratiam illorum, qui *communiora Moral[is] doctrinæ principia* ſibi breviter exponi cupiunt, *Chriſtiani Weiſi[i]* V. CL. *Nucleum Ethices*, (quem nuper cum ejusdem Autoris Nucleo Politices & Jur. Natur. Compendio junctim hic recudi fecit,) volentibus ſuccincta opera interpretabitur.

IMMANUEL **Weber**, D. Hiſtor. PP. *Publicè* conti[…]nuabit *prælectiones in Pufendorfii* **Einleitung zum Staaten** & abſoluto adhuc capite primo deinceps, quæ *in Hiſpaniæ Reg[no]* notatu digna occurrunt, recenſebit. *Privatim* perget in *Relationib[us] Novellis*, **wöchentlichen Zeitungen** Diſcurſu curioſo, prout p[er] annum nunc integrum fecit, illuſtrandis, paratus quoque ad *Coll[egia] Hiſtoriæ ſive antiquæ, ſive recentioris, Eccleſiaſticæ* item ac *Civil[is], Genealogicæ & Heraldicæ*, quantum temporis ratio permittet, h[a]benda, itur[us], videlicet promtè, quò diligen[tiæ] Auditorum d[e]ſideria ipſum invitabunt.

MATTHIAS NICOLAUS KORTHOLT, Eloq. & Poëſ. Pr[of.] Ord. publicis laboribus eloquentiæ ſolutæ cultoribus oratio[]nem M. Antonii Majoragii de laudibus auri, (hæc Majoragii reliq[uis] Orationibus non eſt adjuncta; ſed Ultrajecti Anno CIↃ IↃC LVI. pri[]mum edita, deinde Anno CIↃ IↃC XC. Kilonii recuſa, tande[m] ſimul cum Orationibus Cl. Morhofii prodiit Hamburgi A[nno] MDCXCII.) qua nimium ſimul iſtius ſtudium ſalſe perſtringitu[r], explanabit: hac occaſione nucleum præceptorum Rhetoricoru[m] ſimul ſuppeditaturus. Neque deerit æſtimatoribus eloquentiæ [li]gatæ in illuſtrando melioris notæ Poeta, cujus amore potiſſimu[m] capientur. Interim privatim inprimis exercitia ſtili inſtituet, op[e]ramque dabit, ut Auditores ſuos ad exercitia oratoria publica m[a]nu quaſi ducat, illumque morem ſemper obſervet, ut honeſtis c[u]juſcunque deſideriis pro viribus perpetuo morem gerat.

ERICUS PHILIPPUS PLOENNIES Matth. P. P. O. abſol[u]tis iis quæ in doctrina Aſtronomica adhuc reſtant, publi[cum] collegium Opticæ, Catoptricæ & Dioptricæ inſtituet, omniaq[ue] phœnomena lucis, umbræ, quantitatis, Situs, diſtantiæ, m[o]tus &c. fideliter demonſtrabit: Privatim vero Opticam practica[m] docens etiam perſpectivæ artis regulas faciliſſimas dabit, quarum o[pe] & addiſcentis ſtudio objecta quæcunque naturaliter in charta r[e]præſentari poſſunt.

GISSÆ-HASSORUM, Excud. JOH. REINHARDUS VULPIUS Acad. Typ.